



12



60

~~44.~~

GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. PROF. PUBL. h. t. ACAD. PRO-RECTORIS,
ET FACULT. DECANI,
PROPEMPTICON INAUGURALE,
DE
SCARIFICATIONE
NARIUM ÆGYPTIACA.





UT in omnibus, etiam magnis, rebus, ab ortu suo ad insigne quoddam fastigium sustollendis, nullus inmediate patet transitus, ab uno extremo ad alterum, ab infimo ad summum, ab inchoatione ad perfectionem, sed ubique fere prius est spei rudimentum quam rei experimentum; Ita certe tanto magis convenit in rebus, quantumcunque etiam utilitatis spondentibus, illam prudentiam atque circumspeditionem adhibere, ne mox in primis ejusmodi rerum initiis, finem jam quærentes, vel plus, quam solertius examen denique confirmaverit, nobis inde promittamus: vel minus, quam rei dignitas promeretur, sufficientis comparationis & experientia defectu, nobis aliisque hinc pollicentes, justo arctioribus limitibus rem latius patentem includamus. Laboramus hoc vitio fere præ aliis, Germani: Dum enim non modo prompte percepisse, sed & funditus perspexisse, imò si quid adhuc defecerat, nostra promptitudine suppluisse apparituri, novas res & prope suscipimus, & prompte exornamus, atque commendamus; evenit non raro alterutrum ex illis, quæ modo diximus, ut vel major, & hoc sane satis frequenter, vel
minor

minor laus, quam usus, rebus tribuatur atque assignetur. Eximium hujus rei specimen sistere possumus in negotio *Circulationis sanguinis*; De cujus vero Mechanismo, quam parum hactenus positivè dictum atq; actum sit, ut silentio prætereamus; quid consistentiæ sanguinis conservandæ, quid longo successu compagi ejus dissolvendæ, quid calori, quid secretionibus, velificetur; Privativè certe potius eo tractum & perperam explicatum est, ut eo tolleretur absolutè omnis conceptus, adeoque etiam fides de *sanguinis particulari motu ad certas partes corporis seorsim*: eoque ipso periret penitus omnes illæ non modo veritates Practicæ, sed etiam justæ considerationes *Therapeuticae*; è contra vero irrumperent odiosa illa *passivæ stases & obstructions*, quarum manifestissima antipathia, præcipue cum *temporibus* exquisitissime communiter *statis*, tam *periodicis*, quam *Criticis*, & *patheticis*, falsitatem totius asserti ad fastidium usque demonstrat. Sane vero celebres istæ *Hippocratis*, *μετάστασις*, *διαδόσις*, *ἀναρροπία*, *ἀπόστασις*; non ejus sunt generis, ut otiosa tali detentione, exiguæ cujusdam miculæ sive grumuli sanguinis, coorta, turbastales & tantas in locis præcipue determinatis inducere valerent; tales præsertim, quæ non tam consequantur suppositas has *obstructions*, sed ita *antece-*
dant, atque deinde pertinaciter *comitentur*, ut tam pro signis *prognosticis*, quam *Diagnosticis* agnosci mereantur. Quis enim quæso, *refrigerationes & rigores* partium inferiorum, vergentibus ad partes superiores *apostasibus*, tribuerit *obstructioni* passivæ in uno vel altero vasculo *capitis* obortæ? imo, in quo sub media quæsitæ *ἀκροθάλια* haud paulo gravius impingimus, quis *inflationes* illas *venarum* circa tempora in ejusmodi casu, ab *obstructione* deduxerit, si recorderetur, suppositas illas *obstructions*

verosimillime utique quærendas potius fore in *minoribus* vasorum hujus generis *ramulis*, per caput & cerebrum, quam in magnis & *capacibus*, qui insuper semper denuo adhuc *capacioribus* suum humorem transmittere possint. Sed non placet in ejusmodi ingeniis erudiendis defatigari; melius vero & intelligentibus & experientibus, quadrabit quod vulgo dicitur, *Intelligenti tria verba*. Intelligunt nempe hi, quid intersit inter *molimina Critica*, & *effectus Criseos*; Inter *successus* ~~negotiorum~~ in *Climatibus calidioribus, limpidioribus*, imo & *auræ* frequentioribus ventilationibus magis expositis; Præ nostris *frigidioribus*, corporibus quoque *densioribus, victu crassiore* &c. Unde facile quidem meminerint, cur apud nos sic satis *raræ* eveniant *Critica hæmorrhagiæ*; frequentiores vero sint sub *tempora Critica, pbrenitides, comata, anginodes, & aphthodes* faucium affectus, *convulsiones, in mortem* delinentia omnia, cum refrigescentibus interiorum partibus inferioribus, & ita *subsidentibus*, ut nulum vas sanguiferum ibidem compareat; *Urinâ* insuper aut *pauca* simul, aut plane *pallida* atque *tenui* prodente; imo *sensu* etiam circa infimas partes admodum hebescente, unde vulgi interpretatio: *dergleichen Kranken sterben von unten auff*. In quibus nempe casibus, hi cum quibus loquor facile mecum senserint rendere universum negotium ad *criticam hæmorrhagiam narium*; Sed dum perrumpere non potest, non magis diuturna, quam auctiore per horas, imo subinde per momenta, *diffusione*, ad interiora Cerebri congestione, restagnatione, imo non improbabiliter *effusione* tandem extra vasa, tum *anxia* hæc & *vehementia* symptomata, tum ultimo *mortem* ipsam causari. Intellexerunt, hoc satis solerter Practici antiquiores, unde provocationem effluxus actualis in talibus casibus, svident promote-

movere, per *setas* naribus importunius intrusas, ut violata ipsarum membranula, eruptio talis atque effusio sanguinis sperata, sequatur. Sicut alii magis Empirici, alia huic scopo commendant, ut herbam seu *comas millefolii*, radices *crocodivii* &c. Sed tanto minore ferè usu, quia *incertiore* effectu. Meriti itaque mihi videntur in hoc genere laudem, qui potius patentem viam hic ingressi sunt, *Egyptii*; dum *venas narium* audacius aperire susceperunt, adeoque sanguini largius erupturo, portam patientiorem præbere. Legimus annotatam hanc eorum Methodum à *Prospero Alpino de Med. Egypt.* lib. 3. c. 1. & 21. ubi non modo notat, quod *scarificatio* intra nares, tum in *Cephalalgiiis* in usu apud ipsos sit, tum etiam in *omnibus* febribus *acutis*: Sed notanter simul tradit, quod hæc *copiosa* sanguinis missio è naribus *intus* scarificatis, *Arcanum* apud ipsos credatur. Addit deinde modum; ubi nempe & *in genere* indigitat, quod *incisio* potius simpliciter fiat, aut *Egyptiaca* sane scarificatio, cujus in furis, ridiculum sane nostris, certe non satis modestum, sed propterea nihilo utique minus efficacem modum, non modo describit sed & depingit: In specie verò monet, quod utique *sine cucurbitulis*, utpote tali loco, nullam applicationem subeuntibus, celebretur. *Specialissime* vero describit & locum & modum administrationis; Locum nominat tum *latus cavitatis narium* extrorsum ad genas spectans, tum *mediastrinum* illud narium quod ipsas inter se dirimit. Prius, *duabus vel tribus* incisionibus, secundum longitudinem narium, affici, posterius, *una* communiter. Ante incisionem verò, & *collum* constringi mantili, ut *vena* circa caput intumescant, & *nares* multa *frictione calida* quoque perpetua affusione atque foru, tamdiu velut irritari, donec ad ipsas quoque major solito congestio

gestio facta esse, ex illarum rubore, atque turgescen-
tia, compareat. Adjicit insuper quædam circa differen-
tiam sectionis vel *alarum narium, & mediastini*, partim
ex hypothese, partim etiam consideratu non indigna.
Quemadmodum vero totius hujus rei cardo in eo ver-
tatur, ut sanguinis circa *interiora capitis*, primo in vasis
cum magna distensione conversatus, ultimo vero im-
petu, sine dubio *extra vasa* erumpens, (sicut ita mor-
tui, largissimis eruptionibus sanguinis è naribus atque
infundibulo, post mortem, tanto magis testari appa-
rent) per hanc viam, arte ita obstetricante ventiletur;
quandoquidem totam hanc versus & circa caput *con-
gestionem*, ad evacuationem *hemorrhagicam* proprie spe-
ctare in confesso esse supponimus, adeoque *utiliter* de-
pletionem ejus perpetrari, per artem, si accidentalis
aliqua difficultas, destinato naturæ effectui resistat;
Ita *modus* utique fiendi, satis manifestus est, si consi-
deremus *ramificationes* illas per narium cavernam dis-
seminatas, quæ ad *sinum cerebri*, sive potius *durae me-
ningis, longitudinalem*, vulgo *tertium*, desinunt; Adeo,
ut si ex illis eruptio aliqua fiat, sanguinis utique è sinu
hoc, imò consequenter è reliquis etiam sinubus, quin
potius è toto systemate vasorum, quæ ad hosce sinus
totum suum sanguinem comportant, depletio contin-
gat: & hoc quidem tanto magis eo tempore, quo spe-
cialis ejusmodi *compressoria* detentio in his locis con-
tingit, quæ data ubicunque via, per illam universim
proportionate erumpit. Unde quidem non possumus
non hoc loco laudare Celeberr. D. D. SCHLEEVOGT P. P.
Jenensis, assertionem, quam in Disp. de dura Matre
proponit: quod per hæc vasa multorum magnorum
capitis morborum sublevationem fieri posse, & ratione
& experientia inductus credat. Cui quidem intentioni
tanto

tanto magis satisfacit hæc nihil tergiversans aperien-
di methodus Egyptiorum, cujus proinde altiorem
considerationem, etiam ad Praxin in posterum non im-
merito adhiberi posse, judicamus.

Præbuit nobis ad hæc proponenda occasionem
Disputatio Inauguralis, quam publice ventilabit pro-
pediem,

ANDREAS Hoffmann / Berolinensis, Med.

Candidatus dignissimus
Natus Berolini; Patre Viro plurimum Reverendo Ex-
cellentissimo atque Amplissimo Dn. JOHANNE GE-
ORGIO Hoffmann / SS. Theol. D. & Superintendente
Districtus Neomarchici, Consistorii que quod Custrini
est; Assessore dignissimo. Matre ANNA SOPHIA DE
PAWLOWSKYN Matrona virtutibus sexui suo con-
venientibus ac decentibus ornatissima. His parenti-
bus pierati, studiisque à prima statim pueritia, ductu
Præceptorum privatorum ad adolescentiam usque fuit
innutritus; ad exterâs hinc ablegatus oras, Gymna-
sium Gedanense salutavit, in quo studiis philosophicis
ductu JOH. Gottlieb MOLLERI SS. Th. D. Philosophiæ
primæ ac Practicæ PP. b. m. natavit operam sub cujus
præsidio Disputat. in Hermanni Conringii Historiam
Universalem, in ordine 8. defendit, lectionibus quoq;
Physicis ac Anatomicis Exc. DD. Glosmeyerii H. N.
PP. assidue interfuit, informatione privatissima Exc.
D. BEHRII, Eloquentiæ PP. usus. Fatis defuncto Exc.
DD. MOLLERO Hospite ac Præceptore t. t. suo, A-
cademiam Regiomontanam, suâsu ipse ante hæc fa-
cto adiit, in qua Viri Prænobilissimi Excellentissimi at-
que Experientissimi Dn. D. HARTMANNI, nunquam
fatis sibi laudandi, informationi privatissimæ commis-
sus, cursum ut loqui amant Medicum adsolvit, Expe-
rimen-

rimentis ejus, tam Physicis quam Anatomicis variis it.
Anatomiā foeminā ab Excc. D. Lic. Gottscheed institutā
interfuit. Lipsiam hinc delatus Collegia quædam, quæ
è re sua fore animadvertit, privata, sub auspiciis Ex-
cell. DD. RIVINI habuit, publicas itidem Exc DD.
BOHNII Lectiones audivit. Halas tandem jussu ac
svafu Parentum adiens, jura atque Privilegia ad ma-
jorem Praxeos exercendā Autoritatem à Facultate,
Nostra decenter petiit. Examinibus consuetis, profe-
ctus in Arte optimos exhibuit. Unde petitis ejus an-
nuere, officii nostri exegit ratio. Impetrabit itaque LI-
CENTIAM, publico specimine adhuc edito, Disputatio-
ne nempe Inaugurali de PHLEBOTOMIA, quam sub
nostro Præsidio habebit proximo, dante DEO xv. Aprilis
Ad quem actum solennem ut Illustrissimi, Illustres, Ma-
gnifici, Maximè Reverendi, Excellentissimi, Nobilissi-
mi, Academiā nostrā Fautores, Senatores, Hospites, Ci-
ves, honorifica sua præsentia majorem solennitati Splen-
dorem adferre velint, est quod officiosissime & huma-
nissime rogo. PP. sub Sigillo Facultatis, Halis Mag-
deb. IX. Aprilis, MDCCI,



Catalogus et Index Dissertationum in hoc Tomo
 contentarum.

- | | |
|-----|---------------------------------------|
| 3. | Diss. de febrium rationali ratione. |
| 4. | — — — pathologia. |
| 5. | — — — therapia. |
| 6. | — — febre tertiana. |
| 7. | — — febribus biliosis. |
| 8. | — — febre pestifera. |
| 9. | — — malignitatis natura. |
| 10. | — — V. S. in febribus acutis. |
| 11. | — — inflammationis pathologia. |
| 12. | — — abscessu & furunculo. |
| 13. | — — phlegmi. |
| 14. | — — cancro. |
| 15. | — — V. P. porta malorum. |
| 16. | — — motu sanguinis hemorrhoidali. |
| 17. | — — motu hemorrhoidum internarum. |
| 18. | — — menstruum in schitis viis. |
| 19. | — — hypochondriaco-hysterico affectu. |
| 20. | — — hydropis, ascite praecipue. |

- | | | | |
|-----|--------|---|-----|
| 21. | Diss. | De scorbuti & leuis & grau differentia. | +1. |
| 22. | — | — Palmis. | +2. |
| 23. | — | — peruviana. | +3. |
| 24. | — | — Salcio rerum. | +4. |
| 25. | — | — intestinis. | |
| 26. | — | — vch qvix. | |
| 27. | — | — Dysenteria. | |
| 28. | — | — mensiam mulierum fluxu & suppressione seu | |
| 29. | — | — abortu & foetu mortuo. | |
| 30. | — | — puerperarum affectibus. | |
| 31. | — | — Infantum affectibus. | |
| 32. | — | — Oculorum affectibus in genere. | |
| 33. | — | — V.S. palrocinio. | |
| 34. | — | — V.S. in pede. | |
| 35. | — | — Sanguifundorum utilitate. | |
| 36. | — | — alterantibus & specificis in genere. | |
| 37. | — | — lumbricis & strabus. | |
| 38. | Pract. | De abstinentia & nausea a carnibus in morbis
pneecipue acutis. | |
| 39. | — | — pathologia falsa. | |
| 40. | — | — Empirica. | |

11. Progr. De sterilitate foeminarum per abatem.
12. — — methodo medicandi.
13. — — cornu cervi decinum.
14. — — scarificatione narium aegyptiaca.











Ua 5316

ULB Halle 3
004 109 724



5b

1017







60 ~~44.~~

GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. PROF. PUBL. h. t. ACAD. PRO-RECTORIS,
ET FACULT. DECANI,
PROPEMPTICON INAUGURALE,
DE
SCARIFICATIONE
NARIUM ÆGYPTIACA.

